

se Jehovam appellat Angelus in rubo apparens Mosi, Exod. iij. 2. disertè appellatur Jehova, & Deus verſ. 4. 6. 16. vide porro Exod. xiiij. 21. collato cum Exod. xiv. 19. & cap. xxiiij. 20. & xxxij. vſ. 34. Exod. iij. vſ. 2. collato cum verſ. 4. & 16. Numer. xx. 16. & xxij. 28. collato cum verſ. 22. 23. 24. & cum Iofuæ. ij. 1. Iud. vj. 14. 15. 16. collatis cum verſ. ij. 12. 13. Zach. j. 19. 20. collato cum vſ. 7. 9. & cap. ij. verſ. 3. Zach. iij. 3.

*Sectione IV.* duo cenſet: Primum, *Remonſtrantes dignos eſſe gravi atq; acri cenſura, quòd cum omnino neceſſarium, & quam tutiſſimum eſſe arbitrentur, ut myſterium de S. S. Trinitate, quantum fieri poſſet, proprijs & expreſſis Spiritus S. phraſibus enunciatur, in declaratione tamen phraſibus utantur, quas à Spiritu S. non didicerunt.* Cenſuram hanc, etſi admodum fit iniqua & impertinens, haud gravatè tamen admittunt Remonſtrantes. Utinam in Declaratione ſua, de hoc myſterio augeto, & humano ingenio inſcrutabili, non fuiſſent locuti, niſi lingua Spiritus Sancti! Præſtitiffet fortasſè, invidiam totius mundi ſuſtinere, quàm audacter inferre pedem in adytum divinæ Majestatis ulterius, quàm Spiritus S. hominibus aperuit. Quis enim ſine ſolicitiffimo tremore, ſine Spiritus S. maniſteſſimo ductu ac dictamine, de tam ſublīmi Majestate cogitet, loquatur, aut ſcribat? Ponderandæ jure ſunt ſyllabæ ac literæ omnes, nè quid indignum ea nobis excidat, quin & balbutiendū potius eſt cum ſacris Scripturis, quàm, vel imprudenter aliquid effutiendum, vel Academica cum confidentia, tanquam ex tripode, de ea pronuntiandum. Quicquid de ea Spiritus S. dixit, id ſine periculo dici poſſet; quicquid non dixit, periculo falſi vix caret, & ferè ſemper temeritatem ſapit. Aut enim id, quod Spiritus S. dixit, ſufficere credendum eſt, aut, ſi id non ſufficit; in præcipuo capite Religionis, Spiritum Dei & Scripturam deficere, ſtatuendum eſt. Non ignorarunt vim huius rationis Remonſtrantes. Quin & libenter admodum ad eam, Declarationem ſuam compoſuiſſent, certi & experientia longa edocti, quàm difficile ſit conſiſtere, ſi ſemel pedem ultra Scripturæ limitem protuleris, & quàm multæ, quàm peregrinæ conſuſiones ex una poſitione deducantur, ad quas deinde pari neceſſitate, ac ſi ipſa Spiritus S. conſequentia eſſet, te obſtringas neceſſe eſt. Sed quid facerent? Adverſariorum iniquitates & calumniæ id non ſinebant. Alterutrum neceſſariò faciendum ipſis erat: Aut calumniæ cedendum erat, aut cædenda calumnia. Calumniæ cedere viſi fuiſſent, ſi non niſi verbis Scripturæ, mentem ſuam de hoc myſterio expreſſiſſent.

Cautio Remonſtrantiū, ſectione quarta propoſita adſeritur a Cenſoris criminationibus.

In rebus ad divinæ eſſentia Majestatis pertinentibus potius Scripturæ phraſi quam alia illa humana utendum eſt.

Cur humanis & in Schola uſitatis phraſibus nihilominus uſi ſint Remonſtrantes,

Id